



Caja  
A-44

~~8-1-7-9~~ ~~7-7~~


Sententia mea de gratia et libero arbitrio haec est. Primum, praeuenit diuina uocatione hominem: qua quidem uocatio, est, non solum externa, per legem, per doctrinam, et praedicationem, per miracula, per beneficia, per supplicia et caetera quae excitant considerationem, sed etiam interna per ea quae illestant intellectum, ut ueritas luceat et moueant affectum, ut placeat: cuius initium est, quod falsum pateat, et malum timeat. Omnis autem haec gratia praeueniens fit in nobis sine nobis, id est sunt alius diuinae gratiae praeuenientes liberum hominis arbitrium. Et quamuis preparent et alliciant, et meliorent uoluntatem nostram ad fidem aut penitentiam, tamen neque uim, aut coercionem, neque necessitate inducunt: sed quantacumque sit magna uocatio, liberum est homini, uel resistere, uel respondere deo uocanti.

Secundum est, propter gratiam excitatam, et praeuenientem, quae omnem liberum arbitrij actum antecedit, opus esse homini gratia adiuuante, ut conseruet diuinam uocationem, credendo aut penitendo, quae sane gratia adiuuans, tempore quidem est simul, cum ipso consensu liberi arbitrij, ordine autem rationis, partim est prior, partim posterior, sed absolute et simpli est prior. Prior quidem est quatenus per illam Deus est primum et principale et proprium efficiens iustificationis nostrae, et fidei et penitentiae, posterior autem est quodammodo, quatenus uoluntas nostra non resistit, cum possit diuinam uocationem. Itaque illa causalis est uera, ideo Deus peccatorem uocatum ad penitentiam non adiuuat ut peniteat, quia peccator ipse non uult penitere. Et illa item causalis uerissima est, ideo peccator uocatus, agit penitentiam, quia adiuuatur a deo. Itaque Deus non solum dat uocationem, sed dat etiam, ut respondeat uocatus. Et quamuis in diuerso genere possunt cause sibi inuicem esse cause (ut apertura uarus est causa ingressus, et ingressus ipse si ingrediendo aperiat, est causa apertionis) tamen simpli et absolute efficiens est, prior, subiectiua et materialis: idcirco non absque ratione in actu fidei aut penitentiae, quae simul procedit a gratia adiuuante, et a libero arbitrio, simpli et absolute priorem dicimus Dei motionem, quae quidem motio non opus est, ut re aliud sit quam idem ipse actus fidei, aut penitentiae: sicut cum magister mouet manum pueri ad formandos caractere, idem actus scriptio est a manu magistri et a manu pueri procedens, quod autem bene scribat puer, merito tribuitur manui magistri, quae mouet et dirigit manum pueri, sed nihil omnino bona scriptura siue scriptio uere est pueri, quia potest resistere manui magistri, aut non illi subijci, atque ita male scribere, quod igitur male scribit, totum est pueri,

quod aut bene scribit, utriusque est, et pueri et magistri, sed precipua causa est manus  
magistri, ad quam proprie pertinet ea gloria, quod per manum pueri vult tam pulchri carabre  
us formati <sup>esse</sup>.

Tertium est, cum Voluntate Dei generali, qua vult ut omnes homines salvi fiant, stare volunta-  
tem peculiarem sine proposito, ut tales et tales homines in effectu omnino salvi fiant, ad quod  
ordinat vocationem sufficientem et congruentem, eternam et internam, circa intellectum et vires  
affectus in super vult dare vires et motionem, ut vocati respondeant et consentiant. atque in hoc pro-  
posito Dei consistit, quantum attinet ad prescriptionem eternam, in ipsa aut executione quantum attinet  
ad effectum ipsum, efficaciam diuinae gratiae, quae est omnino infallibilis. Circa eum vero qui  
Dei uocationi resistit, habet quidem Deus eternam Voluntatem permittendi illam resistenciam, et re-  
ipsa permittit, non in resistenciam ipsam et dissensum vltimo modo vult neque est causa illius, sed sup-  
posito defectu voluntatis liberae, vires naturales non subtrahit, et substantiam actus non negat.  
Quare nulla ratione concedi potest, Deum praemouere vel applicare voluntatem ad actum peccati,  
siquidem dissensus illius nullo modo est causa motus diuinae, neque ille est intentus a Deo, quod  
vtrumque in consensu voluntatis nostrae ad diuinam uocationem secus est. Exemplum supra po-  
situm de manu pueri a manu magistri mota ad scribendum, potest rem explanare. Si enim  
magister ita moueat manum pueri sibi subiectam, ut non permittat se ipsam male mouere,  
perfectus erit efficax motus ad bene scribendum, si autem ita teneat et moueat, ut permittat  
manum pueri sine plena subordinatione se mouere, erit sane scriptio vitiosa, sed vitium  
merito tribuitur manu pueri non manui magistri, quamuis eorum carabres utraque manus  
formet. Neque uero recte dici poterit, Magistrum praemouere manum pueri aut applicare ad  
vitiosam scripturam, nam quod non est ex arte artificis attribui non potest. Quamuis  
vires omnes actus voluntatis humanae, ut est ens quoddam et naturae cuiusdam operatio,  
sed simul a creatore et a creatura, imo in rationis ordinem prius a creatore, agens est  
omne ens et omne operari, tamen idem actus prout est liber et humanus, atque ad hoc in ge-  
nere motus, non est necesse ut prius sit a Deo quod ab homine; sed si bonus et rectus fuerit,  
erit omnibus modis, id est effectus et morali, prius a Deo quod ab homine, quia est conformis  
Voluntati diuinae et ab illa procedens, non autem malus et vitiosus sit, cui vere et proprie  
a voluntate humana, deficiente, voluntate diuina, illam deficere permittente, sed nullo  
modo ad defectum impellente, aut suadente, aut mouente. De quibus omnibus <sup>partes</sup> pe-  
ita a Dei gratia vocante et adiuuante esse substantiam hominis, ut homo ipse libere omnino  
cooperetur salutem suam, malum vero culpe sic prouidere ab homine, ut in Deum non  
possit vltimo modo referri. In sententia summorum sententiam meam in omnibus confusa sanctae matris  
Ecclesiae Romanae. Vallisolei, 17. die July. ann. 1595.

+  
i. Joseph de Acosta.





5

Handwritten text in a cursive script, likely a library or archival call number, including the characters "A-44".

No. Pair  
A-44